

T H E S E S  
INAUGURALES  
JURIDICÆ,

275

12

1689, 2

QUAS  
SUB AUSPICIIS,  
DEI OPTIMI MAXIMI,

Cum

CONSENSU & AUTHORITY

Amplissimi Jctorum Collegii in  
Inclyta Teutoburgensi Clivo-  
rum Universitate,

PRO

Summis in Utroque Jure Honori-  
bus ac Privilegiis ritè con-  
sequendis,

*Ad diem 29. Decembris, horis locoque consuetis,  
publicè discutiendas proponit*

JOANNES HENRICUS MUNCH,  
JULIACENSIS.

DUISBURGI ad RHENUM,

Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.  
Anno M. DC. LXXXIX.



275

3





T H E S E S  
I N A U G U R A L E S  
J U R I D I C Æ.

T H E S I S I.



Rontispicium thesum pro assequenda Juris Utriusque Laureâ propugnandarum exhibet Jurisdictio à jure dicundo Etymon suum trahens; Est autem hodie jurisdictio potestas de causâ sive Civili sive Criminali judicandi, & judicata exequendi.

II.

Potestas exequendi propriè venit nomine imperii, quod duplex est; Merum, & non merum, sive mixtum; merum definitione Ulpiano *in l. 3. ff. de jurisdict.* nec non *in l. 6. ff. de off. procons.* est potestas gladii ad animadvertendum in facinorosos vel cujusvis alterius Criminis reos; Mixtum est potestas coherens jurisdictioni comparata ad eam tuendam

arque explicandam; illud merum dico, quia purum & per se solum est alterius rei mixturam non habens, hoc mixtum, quia conjunctum & unitum est cum jurisdictione, ejusque inseparabile adjunctum; Quin tamen duo hæc, Jurisdictio & Imperium, uti nominibus distincta sunt, ita & reipsa sint diversa actusque Jurisdictionis & Imperii distincti, ut neque, quod Jurisdictionis est, Imperio, neque quod Imperii, Jurisdictioni attribuendum veniat, nullus dubito, adeoque dare bonorum possessionem, jubere cavere prætoriam stipulatione, in possessionem mittere non Imperio sed Jurisdictioni adscripserim.

## III.

3  
Modos prorogandæ Jurisdictionis Doctores communiter statuunt quatuor, de persona ad personam, de re ad rem seu de quantitate ad quantitatem, de loco ad locum, de tempore ad tempus; ex quibus, duobus prioribus uti certo jure nixis approbatis, duos posteriores de loco ad locum, de tempore ad tempus uti à ratione juris nostri alienos veteribusque incognitos reprobato.

## IV.

Quod pactum contractui bonæ fidei in continenti adjectum vestiatur cohærentiâ contractus, eique à parte actoris insit & actionem pariat, nullam propter textum expressum in *l. 7. §. Quinimo. 5. ff. de pact.* patitur contradictionem; An vero idem de pacto contractui stricti juris in continenti adjecto statuendum sit, inter interpretes non convenit, Ego rejectâ

rejeſta diſtinctione eorum, qui inter contractus  
 et iuris, qui re fiunt, ut mutuum, & eos qui ver-  
 bis, ut ſtipulatio, diſtinguendum opinantur, idipſum  
 indiftinctè negantibus me adjungo.

V.

Si Creditor Debitori ſuo cautionem reddiderit,  
 tacitè pactus intelligitur, ne petat, profuturamque  
 debitori conventionis exceptionem placet *l. 2. §. 1.*  
*ff. de pact.* Ubi verò plura unius ejusdemque debiti  
 chirographa penes creditorem ſunt unius redditione  
 obligationem non cenſeri remiſſam verius putem.

VI.

An beneficium *l. 2. C. de reſcind. vendit.* ob enor-  
 mem læſionem etiam ad transactionem producen-  
 dum fit, anceps magnoque molimine in utramque  
 partem diſputata quæſtio eſt; Ego negativæ ſub-  
 ſcribo.

VII.

Intricata, diſfuſa, ac difficilis expeditu quæſtio  
 eſt: An & quando in cauſis Criminalibus interveni-  
 re Procurator poſſit; quæ effectus duplex eſt; An ni-  
 mirum poſſit intervenire ex parte Actoris, & an ex  
 parte Rei? Actorem quod attinet, ex ejus parte in  
 ſolis delictis privatis non capitalibus ordinariam ſive  
 ſimplicis famæ ſive pecuniariam pœnam habentibus  
 rectè Procurator intervenit; Ex parte Rei autem  
 non aliter defenſorem admiferim, quam ſi vel itidem  
 ſubſit cauſa Criminalis, in quâ agatur ad pœnam  
 pecuniariam aut ſimplicis famæ, vel aliàs cum Reo  
 Capita-

Capitalis criminis adhuc præfente his contestata is-  
que absens inter Reos receptus; iudiciumque cum  
ipso coeptum fuerit. De causa relegationis, quid di-  
cendum sit, non usquequaque definitum reperitur;  
rectius tamen & in hac Procuratorem ex parte Rei  
rejeceris.

VIII.

Dolus alius est contractui causam dans, ut cum  
quis inducitur dolosè ad contrahendum qui aliàs  
contracturus non fuisset, alius in contractum inci-  
dens, cum quis non dolo ad contrahendum indu-  
ctus, sed circa contractum dolo circumventus est:  
hunc, si in contractum bonæ fidei incidat, purgari  
vel per exceptionem doli vel per actionem ex ipso  
contractu descendantem disertè Responsum est in  
*l. 7. §. 3. ff. de dol. l. 13. §. 4. ff. de act. empt.* illum  
verò contractum bonæ fidei ipso iure nullum redde-  
re; rectè contra ultromontanos citramontani cen-  
suère.

IX.

Rem, si de ejus possessione aut proprietate agatur,  
subjicere possessorem Jurisdictioni ejus Judicis in cu-  
jus territorio res sita est, expeditum est per *l. unic.  
C. ubi de possess. ag. l. ult. C. ubi in rem act. exerc. deb.*  
An vero præter locum rei sitæ Reus etiam in loco  
domicilii conveniri de possessione aut proprietate  
possit; Quæstionis est; Affirmativa placet; Sanè eo  
casu, quo de possessione momentaneo adeòque ex-  
traordinario processu agitur vix crediderim locum  
esse alium, qui forum tribuat, quam rei sitæ.

X. Que-

X.

Querela inoffici testamenti contra eos, qui eandem Judicium præparatorium ad petitionem hæreditatis esse volunt, rectè definitur, quod sit species hæreditatis, qua & testamentum rescindi petitur, & simul vindicatur hæreditas tanquam ab intestato delata; Ubi, si is, qui prius accusandi prærogativam habet, nolit aut non possit accusare, sequentem admitti, & sic edicto successorio locum esse placuit.

XI.

Cum inter cœtera ad hoc, ut actio publiciana (quam & à vero Domino sub qualitate bonæ fidei possessoris intentari posse placet) competat, exigatur, ut res sit tradita *l. 1. l. 7. §. ult. ff. de public. in rem act.* Quæri solet, num aliquando ei competat, cui tradita non fuit, quod assero, inque iis causis, ex quibus dominium citrà traditionem potestate juris transfertur, etiam ante traditionem Publicianam validè intentari putem.

XII.

Sumptus in communi hæreditate ab uno cohæredum bonâ fide factos alii volunt vel iudicio familiæ eriscundæ vel negotiorum gestorum electivè repeti posse, alii solam familiæ eriscundæ actionem competere sustinent; alii alitèr; Ego dissidium hoc hac distinctione componendum existimo, ut, si in re communi negotium individuum gestum sit, locus sit actioni familiæ eriscundæ, si dividuum, actioni negotiorum gestorum.

XIII. Na-

Naturâ & obligatione mutui continetur, ut res ejusdem generis, & æquè bona reddatur, l. 2. & 3. ff. de reb. cred. quo facto liberatur debitor, quanatunque sit præsens æstimatio, eo quod æstimatio extrâ rem sit, magisque proficiatur ex rerum copiâ aut inopiâ quam ex bonitate; quod si vero res præstari nequeat aut forsan non ejusdem bonitatis necessitas eo rem deducit, ut in æstimationem condemnatio sit concipienda; Verùm hoc opus, hic labor est, ad quodnam tempus sit referenda rei debitæ æstimatio si ea creverit aut decreverit; in hoc namque puncto, ut ait Cujac. tract. ad Afric. 8. in l. Hominem. 37. ff. Mandati; nullus est hodie vel Judex vel Patronus, qui non hæreat, maneatque suspensus. Vinum ait Jctus in l. 22. ff. de reb. cred. quod mutuo datum erat, per Judicem petitum est, quæritur, cujus temporis æstimatio fieret; Respondet Ulpian. ex sententiâ Sabini si dictum esset, quo tempore vinum redderetur, quanti tunc fuisset, si non, quanti tunc cum petitum esset, at quænam petitio? etiam extrajudicialis hunc parit effectum, ita ut coonformitèr huic Responsio terminum à quo faciendæ solutionis ponat adjectus dies aut mora in obligationibus puris; Sanè si locus adjectus sit, ejus pretium sequi oportebit.

XIV.

Sed quemnam statueres terminum ad quem? in strictis ego Judicis infallibiliter intuerer tempus litis contestatæ, in Bonæ fidei rei judicandæ.

XV. Mu-

XV.

Mutato Nummorum valore quid censes? Mea opinione mutatâ bonitate extrinsecâ solutionis tempus respicere justum est.

XVI.

Cum Actio Pignoratitia non nisi exsoluto debito efficacitèr intentetur, quæsitum est, an juri luendi pignoris præscribi possit? In quod proclivior sum.

XVII.

Quin Actio pro socio pertineat ad præstationes personales, quas ratio societatis & natura contractus inducit, nullum dubium est *l. 1. ff. comm. divid.* an vero & ad rerum ex causa societatis communium divisionem pertinebit? Negantium opinio verior est.

XVIII.

Venditori (quem, si facultatem tradendi habeat, præcise teneri ad rem tradendam, nec defungi præstatione ejus, quod interest, verius est) non ignorantem valorem rei venditæ beneficium *l. 2. C. de rescind. vendit.* melius denegatur.

XIX.

Hypothecam in rebus per beneficium *l. 2. C. de rescind. vendit.* avocatis constitutam non resolvi contra Baldum rectè sentit Bartolus *in l. 3 ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

B

XX. Mu-

XX.

Mulierem in repetitione dotis in tantum esse privilegiatam, ut contra omnes mariti Creditores licet anterioris temporis privilegio vallatos potiora jura habeat, satis innuit *l. assiduis 12. C. Qui pot. in pign. hab.* quod privilegium, quamvis passim contendant vires suas exerere duntaxat quoad anteriores hypothecas tacitas; Ego tamen tuebor agenti hac ex causa mulieri cedere etiam expressas.

XXI.

Utrum emptori de evictione competat actio, quando causam venditoris injustam esse nec ab eo defendi potuisse asserens denuntiationem motæ litis omisit, gravis est controversia; Ego de Jure hoc in casu emptori actionem denegandam, de æquitate tamen, si onus probandi injustitiam causæ venditoris in se susceperit, regressum contra venditorem dandum existimem, & quidem non per actionem ex stipulatione duplæ sed ex empto.

XXII.

Quanquam donationes inter Virum & Uxorem legibus vetitæ sint, placet tamen morte donantis eas confirmari *l. 32. ff. de donat. int. Vir. & Uxor.* Eleganter autem quæritur; An etiam promissio donationis causa facta inter Virum & Uxorem morte promittentis confirmetur re non traditâ, Existimo non confirmari.

XXIII. An

XXIII.

An si legitimus testium numerus in Testamento adhibitus non fuerit, aliudve quid meræ solennitatis omissum, tale Testamentum saltem in foro conscientiæ hæredem ab intestato, cui de voluntate testatoris constat, obliget ad restituendam hæreditatem hæredi scripto & ad legata præstanda, non levis est controversia; Ego exercitii gratia nec tamen sine ratione affirmantibus assentior.

XXIV.

Testamentum Parentum inter liberos valere, etsi in eo solennitates requisitæ observatæ non sint, extrâ controversiam positum est; de eo autem, utrum talis dispositio valeat jure testamenti, an vero duntaxat sustineatur ut ultima voluntas intestati, uti & de hoc, an uti scripta ita & nuncupata parentum imperfecta voluntas jure singulari valeat, inter interpretes non convenit; Ego quoad prius illis adhæreo, qui imperfectam inter liberos parentum dispositionem jure testamenti, non autem tantum ut voluntatem intestati valere sustinent, quoad posterius iis, qui etiam nuncupatam parentum imperfectam voluntatem ex privilegio ruentur.

XXV.

Utrum minore adeunte hæreditatem & adversus aditionem restituto fiat locus vulgari substituto an non? Non mediocris est disputatio; Negantium opinio verior est.

B 2

XXVI. Jus

XXVI.

Jus accrescendi, quod in hæreditatibus à testatore cum effectu prohiberi non posse verius est, etiam inter Legatarios verbis tantum conjunctos admitto.

XXVII.

Filium hæreditatem restituere jussum: de Jure Civili unicâ deductione, sive Legitimæ, sive Trebellianicæ portionis contentum esse debere, verissima sententia est.

XXVIII.

*Si unquam Libertus Patronus filios non habens bona omnia vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & postea susceperit liberos, totum quidquid largitus fuerat, revertitur in ejusdem donatoris arbitrio ac ditione mansurum inquit Imperator in l. si unquam. 8. C. de revocand. donat. Cujus Legis decisio an locum habeat extra speciem Patroni donantis liberto, Quæstionis est; Negativa magis arridet.*

XXIX.

Rectè sentiunt ii, qui negant post tempus præstitutum fidejussorem sine novo consensu vel ex repetito cum debitore contractu vel omnino in futurum obstringi, in præteritum verò seu respectu obligationis, pro quâ intervenit, efficacitè obligatum manere; sic & eorum, qui prorogatione termini solutionis nequaquam liberari fidejussorem volunt, sententia juri nostro conformior est.

XXX.

Ut cum Doctoribus communiter in explicatione Pandectarum de materiâ Appellationum finalitèr differrentibus finiam; Coronidis loco quærere placuit;

B 3.

Num.

Num fatale appellationis interponendæ ( de fatali namque prosequendæ minus dubium est ) currat pauperi? Ubi rejectâ distinctione eorum, qui inter appellationem vivâ voce & alteram in scriptis fieri solitam, nec non inter pauperes suâ culpâ in paupertatem redactos & aliter distinguendum volunt; rectius cum Gail. *lib. 1 Observat. 142. num. 5.* inquirendum putem, utrum paupertas coram Judice à quo allegata & probata sit, an vero post latam demum sententiam coram Judice ad quem allegari velit? Priori namque casu fatalia pauperi non current, posteriori current, eritque pauperi intrâ decendum aut appellandum aut de paupertate uti in facto consistente sub pœnâ desertionis docendum.

## IMPERTINENS.

*An feudo masculino cum pacto de redimendo vendito, & emptore relictis filio & filiâ mortuo, Patruoque vi investituræ post mortem filii sine heredibus masculis defuncti de feudo investito, pretium feudi Patruo possidente redempti pertineat ad filiam emptoris superstitem, utpote quæ Patri & Fratri defuncto successerat; An ad Patruum? Elige.*

### A L I U D.

*Nihil tam profectui adversarium, quam perfectionis opinio, & credere se sapientem primus ad stultiam gradus est. Senec.*

### F I N I S.

**I**n angeflämmerter Sinn / ein Feuers-volle Seele  
 Bedencket Himmel-an / und lasset diese Höhle  
 Der Erd / und Eitelkeit: Und schwinget sich empohr  
 Hin-durch den Wöbel durch / zu dem erhobnen Chor  
 Der Leute / die nach Lob / nach Freiß und Ehr geringen;  
 Und denen es durch Fleiß und Schweiß ist wol gelungen.  
 Gewiß der Ehren-Berg ist hoch: Und wer da wil  
 Hinauf / dem kostet es der Arbeit gar so viel.  
 Wer hie / wie viele tuhn / sich ab wil lassen schrecken:  
 Ach der wird sich umsonst nach diesem Ziele strecken.  
 Auf dan! Ihr Kräften auf! Wer sich hie dapper hält!  
 Er leget hie den Feind; Ihm bleibet auch das Feld.  
 Herz Munch / mein Landes-Mann; mein vielgeliebter Bruder!  
 Ist ein Exempel hier: Er lage nicht im Luder;  
 Sonst hätte Ers nicht so weit / und nicht so hoch gebracht;  
 Hätt sich auch nimmermehr zu solchem Mann gemacht!  
 Wie Er nun warlich ist. Ich muß für dismahl schweigen  
 Von der Philosophy; sonst könt sich solches zeigen.  
 Die Beyde Rechten hat Er treflich wol studirt;  
 Und manche schwere Sach schon würcklich aufgeführt.  
 Er hat die scharffste Prob zu Duisburg aufgestanden /  
 Das vielen oft wird schwer: Es kömmt auß andern Landen  
 Wol jemand zu Uns her / und meint / er sey ein Mann /  
 Kömmt wie ein Kind davon / das nicht bestehen kan.  
 Du aber / Landsmann / Du (Ich freu mich das zu sagen)  
 Hast hohes Lob und Ruhm / und Ehr davon getragen:  
 Weil Du in Allem dich Lobwürdig hast gemacht /  
 Und dich des Doctor - stands hast wol verdient geacht.  
 Es war nun übrig Nichts / als dieses Disputiren:  
 Das folgt dem Andern nach: Du wirst die Sache führen /  
 Gleich wie ein Mann der Weiß / und auch Erfahren ist:  
 Weil Du mit solcher Lang wol mehr gewaschen bist.

So

So komm dan endlich her / Du Muster kluger Männer /  
 Du Hochgelehrter Mann / du Beyder Rechten Kenner :  
 Reich her dein wehrtes Haupt / du lieber Themis - Sohn !  
 Nimm deinen Ehren-Kranz zum wolverdienten Lohn !  
 Des du vorlängsten wehrt / das bist du jegund worden :  
 Tritt an mit Lust und Freud den hohen Doctors Orden !  
 Dieweil der Tag ist nah / da man mit solcher Zierd  
 In herrlichem gepräng / dich fein verehren wird.  
 Noch Eins / Eins fehlet Dir ! Was dan ? Die Doctorinne ;  
 Dann wo ein König ist / muß seyn die Königinne.  
 Ach wan ein Schäggen wär nur recht darauf bedacht :  
 Wie sie würd Promovirt mit Lust in einer Nacht /  
 Und Doctorinne würd : So würd es sich wol fügen ;  
 Sie würd sich und dich wol wissen zu vergnügen.  
 Doch zweifle nicht daran : wie deine Ehren - Krohn /  
 Und du bist dessen wehrt ; so wird sichs finden schon.  
 Herz Munch wird seyn kein Monch : Er wird zum Kloster - Leben  
 Wol haben keine Lust / und dessen sich begeben :  
 Und wirts wol schicken sich / daß der den Nahmen hat  
 Und ist nicht / wer er heist / noch werde mit der Taht.  
 Ich scherz nicht / wan ich scherz : Und hoff / es werd geschehen ;  
 Daß man in kurzer frist werd alles fröhlich sehen.  
 Mich dünckt / ich seh es jetzt. Herz Doctor, lebe wol !  
 Ich wünsche was ich kan ; Dieweil ich freuden vol  
 Dein frohes Ehren - Fest werd nach dem Fest begeben :  
 Und dich im Doctors Schmuck werd hoch erhoben sehen.  
 Dan heist es / kommt und schaut / wie Fleiß und Tugend kan  
 Zu Lohn ein solche Kron aufsetzen solchem Mann.

A D A M von H E R T E N,  
 Juliâ - Marcoduranus, J. U. C.

*Viro Nobilissimo & J. U. Peritissimo,*

D. J O H: H E N R: M U N C H,  
J U L I A C E N S I,

Pro Summa in Utroque Jure Laurea, Inviētissimi  
Cæsar̄is & Augusti Octoviri Brandenbur-  
gici autoritate, capeſſenda,

CONTROVERSIAS JURIS INSIGNES,  
Summo cum applausu publica velitatione  
defendenti.

**D**Um Patrio infestos exturbat limite Gallōs,  
Fulminaque, AUGUSTUS, justaque tela crepat,  
Tu pariter MUNCHI (quis enim componier almis  
Nesciat exemplis?) bella severus inis.

Bella? Sed in Themidos ceu condecet esse palæstra:  
Bella, sed ex libris, Justiniane, tuis.

Bella ciere cruore fluentia, telaque ferre  
Sanguinea, est MONACHIS res minus apta bonis:

Sunt alia ast MONACHIS bene convenientia tela,  
Tela quibus populi stat rata tecta salus.

Justinianeus largitur talia Codex\*

\* l. 14. C. de  
Advoc. &c.

Et porro Augusti quæ hoplomachia capit.

Qui volet, hæc Monachis non concordare, docebit:  
Attamen his telis dextera nata tua est.

I MONACHE, i fortis, medios i fortis in hostes.

Istis te pugnis destinat alma Themis.

Quæ te clara tropæa manent! Mox laurea, MUNCHI,  
Doctoris meritum cinget amœna caput.

Posthæc, quanta arcis surget nummatio! Myrthus  
Quæ thalamo! Obruitur pondere Musa. Vale.

*Posuere*

CONVICTORES PAGENSTECHERIANI,  
LL. & Phil. Studiosi.

Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle

3


004 527 046



Sb

107





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

275

12

1689, 2

ES  
RALES

C Æ,

C I I S,  
A X I M I,

ORITATE

Collegii in  
ensi Clivo-

tate,

ure Honori-  
ritè con-

*locoque consuetis,*  
*proponit*

US MUNCH,  
S I S.

ENUM,

Academ. Typogr.  
KIX.

